

rat de deo: **N**ō: S; alia spes ē isrl' p'pria. **N**ō p' summo suo bono speret isrl' diuitias: nō salutem corporis: nō abundantiam terre norū: imo tribulationēz hic habiturus est: si forte cōtingent illi p'pter veritatē pati aliq's molestias. **N**ō enī nō sperabāt in deū martyres: **E**t tñ talia sunt passi qualia latrōes: q'ia iniqui: subiecti ad bestias: ignibus cō cremati: gladio percussi: vngul' exarati: cathenis obstricti: carcere necati. **I**sta omnia mala passi nō sperabāt in dñm: **A**ut iō sperabant: vt istis mal' carentes hac vita fruerent: **N**ō plane: q' a vigilia matutina sperabāt. **Q**uid est h': **C**ōsiderabāt illaz vigiliam matutinā qua resurrexit dñs eorū: et videbant q'z añq's resurgeret talia z ipe passus erat: qualia z ipe patiebant: z nō desperabāt etiam se post tales passiones resurrecturos ad vitā eternam. **S**perauit israhel in dñm a vigilia matutina vsq's ad noctem.

Alia lfa.
t Quia
non habet
f copiosa
teum

Qm apd dñm misericordia ē: z multa apud illū redemptio. **M**agnifice melius dici nō posset loco suo: propter illud qd dixit: **A** vigilia matutina speret israhel in dñm. **Q**uare: **Q**uia a vigilia matutina resurrexit dñs: z h' debet sperare corpus qd i capite p'cessit. **S**z ne suggerat ista cogitatio: capiti licuit resurgē: q'z pctis nō p'mebat: z nullū pctm erat in illo: quid nos facturi sum? **S**perabim' talem resurrectionē qual' in dño p'cessit: cū peccat' nostris aggrauemur: **S**ed vide qd sequitur. **Q**m apud dñm misericordia: z multa apd illū redemptio. **E**t ipe redimet isrl' ex omnibus iniquitatibus eius. **E**rgo si p'mebat peccatis suis: adest misericordia dei. **I**ō p'cessit ille sine peccato: vt deleat pctā sequentiū. **N**olite in vobis p'sumere: s; a vigilia matutina p'sumite. **V**idete caput vestrum resurrexisse z ascēdisse in celuz. **I**n illo culpa nō erat: s; p' illū v're culpe debentur. **I**pe redimet isrl' ex omnibus iniquitatibus eius. **Q**uia isrl' vendere se potuit: z fieri venditus sub peccato: redimere se ab iniquitatibus non pōt. **I**lle potuit redimere qui se nō potuit vendere. **Q**ui nō cōmisit peccatū: ipe est redemptor a peccato: ipe redimet isrl'. **C**ū redimet: **A**b illa iniquitate: an ab illa: **A**b oib' iniquitatibus suis. **N**ō g' timeat accessurus ad deū aliq's iniquitates suas: tantūmō accedat pleno corde: z desinat iam facere q' antea faciebat: z non dicat: illa iniquitas nō mihi dimittit. **S**i enim hoc dixerit: p'pter ipam quā putat sibi non

dimitti: nō se cōuertat: z faciēdo cetera nō illi dimittit z illd qd si timebat. **Q**uia feci inqt scelus magnū: z nō mihi pōt dimitti: iā faciā z cetera. **H**oc enī p'do qd nō facio. **N**oli timere: in p'fundo es: noli p'teminere: de p'fundo clama ad dñm: z dic. **S**i iniquitates obf'uauer' dñe: dñe quis sustinebit? **O**bf'ua illum: z expecta illū: z sustine propter legem ipius: **Q**uam legem tibi dedit. **D**imittite nobis debita n'ra: sicut z nos dimittim' debitorib' nostris. **S**pera te resurrecturū: z tunc futurū omnimodo sine peccato: qm ille resurrexit q' p'm' fuit sine peccato. **A** vigilia matutina spera: **N**oli dicere: **E**go nō sum dignus: prop' pctā: **N**on es dignus: s; multa apud illū redemptio: **E**t ipe redimet isrl' ex oibus iniquitatibus ei'.

ExPLICIT Tractatus de ps. CXXXIX.
INCIPIT Tractatus de ps. CXXX.

Prefatio.

In isto psalmo cōmendat nob' humilitas hui' dei z fidelis: cuius voce cantat: qd est vniuersum corp' christi. **S**epe enī admonuim' caritatē vestram: nō quasi vnus hominis cantātis vocem accipi debere: sed omnīū q' sunt i christi corpore. **E**t q'z i illius corpore sunt omēs: tanq's vnus hō loquit: z ipe est vnus qui z multi sunt. **M**ulti enī sunt in seipis: vnus sunt in illo: q' vnus ē. **I**pm est aut' etiaz templum dei: de quo ap'ls dicit: **T**emplū enīz dei sanctū est qd estis vos. **O**mēs qui credūt in christū: z sic credūt vt diligāt: **H**oc est enī credere in christū: diligere christuz: **N**ō quomō demones credebāt: s; nō diligebant: z ideo q'uis crederent dicebant: **Q**uid nobis z tibi fili dei: **I**nos aut' sic credamus: vt in ipm credam': diligētes eū: z nō dicam': quid nobis z tibi ē: s; dicamus potius: ad te p'tinemus: tu nos redemisti. **O**ēs g' qui sic credunt: tanq's lapides sunt viui: de q'bus templū dei edificatū est: z tā q' ligna imputribilia q'bus arca illa cōpacta est: q' in diluuiū mergi nō potuit. **H**oc aut' templū ē: id est ipi hoies: vbi rogatur deus: z exaudit. **Q**uisq's enim p'ter tēpluz dei orauerit deum: non exauditur ad illaz pacem supernā hierusalem: z si exaudit ad qdā temporalia q' deus z paganis donauit. **N**ā z ipi demones exauditū sunt: vt irēt in porcos. **E**xaudiri ad vitam eternaz aliud

est: nec pcedit: nisi ei q̄ in tēplo dei orat. Ille aut̄ in templo dei orat: q̄ orat in pace ecclesie: in unitate corporis christi: q̄ corpus christi cōstat ex multis credentib⁹ i toto orbe terrarū: et ideo exaudit: q̄ orat in tēplo. Ipe enī orat in spū et veritate: q̄ orat in pace ecclesie: nō in illo templo ubi figura erat. Scdm figurā enī dñs excludit hoīes de tēplo illos q̄ sua querebāt: id est ppter vādē dum et emendū ibant in templū. Si autē figura erat illud templū: manifestū est q̄ et corpus christi: q̄ est vtz templū: cui⁹ illa imago erat: habet p̄m̄tos emētes et vendentes: id est sua querētes: nō q̄ Jesu christi: S; excludūt inde de flagello resticule. Restis enī peccata significat: sicut dicit p̄phetam: *De eis qui trahunt peccata velut restem longam. Illi aut̄ trahunt peccata sicut restem longam: q̄ addunt peccata peccatis: q̄ cum fecerint vnum peccatum: vt cooperiāt illud: faciūt alterū. Quō enī vt restis fiat: addit spartum sparto: nō autem in rectum it: s; torquet: sic omnia praua facta que sunt peccata cum addunt sibi: et addendo peccato peccatū: et pctm̄ ad peccatū annectit: fit restis longa: quoz semite prauae: et flexuosi gressus eozū. Quo valet aut̄ ista restis: nisi vt inde ligent ei man⁹ et pedes: et p̄iciat quisq; i tenebras exteriores: Deministis enī dictū de q̄daz peccatore in euāgelio: *Ligate illi man⁹ et pedes: et p̄icite illum in tenebras exteriores: ibi erit flet⁹ et stridor dentū. Nō q̄ esset vñ illi ligarent man⁹ et pedes: nisi ipse sibi restem fecisset. Vñ aptissime alio loco scriptū est. *Arinculus peccatorū suoz vñusq; constringit. Ergo q̄ de peccatis suis homines vapulat: ideo dñs flagellū de resticulo fecit: et inde expulit de templo omēs qui sua querebāt: nō que Jesu christi. Dur⁹ q̄ templi vox est in psalmo. In hoc tēplo vt dixi rogat̄ deus: et exaudit in spū et veritate: nō in illo corpali. Naz illic ymbra erat: i qua demonstraret quod venturū erat: Iō illud iam cecidit. Cecidit ergo domus oratiōis nostre: Absit. Non enī illud templum q̄ cecidit hoc potuit dici domus oratiōis: de qua dictum est: *Bonus mea dom⁹ orationis vocabit̄ omnibus gentibus. Audistis enim quid dixerit domin⁹ Jesus christus: Scriptum ē: *Bonus mea domus orationis vocabit̄ omnibus gentib⁹: vos aut̄ fecistis eam speluncā latronū. Nunqd̄ illi qui voluerūt facere domū dei speluncāz latro-*****

num: fecerūt vt rueret templū? Sic et illi q̄ male viuūt in ecclesia catholica: q̄stum in ipis est domum dei volūt facere spelūcam latronū: nec iō enertūt tēplū. Uciēt enī tēpus: quando de reste peccatorū suoz foras mittant. Hoc autē templū dei: hoc corp⁹ christi: hec cōgregatio fidelū vnam vocē habet: et tanq̄ vnus hō cantat in psalmo. Et vocem iaz in multis psalmis audim⁹: audiam⁹ et in isto. Si volum⁹ nra vox est: si volum⁹ aure audim⁹ cantantem: et nos corde cātamus: Si aut̄ nolim⁹: erimus in illo tēplo tāq̄ emētes et vendētes: id ē nra querētes. Intraim⁹ ecclesiaz: nō ad ea q̄ placent oculis dei. Uiderint q̄ in numero vestro q̄s quō audia: vtrū audiat et irideat: vtrū audiat et post se ponat: vtrum audiat et cōsonet: id est sentiat hic vocē suā: et adiungat voces cordis sui voci psalmi hui⁹. Tamen vox psalmi hui⁹ nō tacet. Instruantur q̄ possunt: imo q̄ volūt: q̄ nolūt non impediāt. Cōmendet̄ nobis humilitas: in de cepit.

Expositio psalmi.
Domine non est exaltatū cor meū. Sacrificiū obtulit. Tū probam⁹: q̄ sacrificiū obtulit. Quia humilitas cordis nri sacrificiū est. Bicit̄ i alio psalmo: *Qm̄ si voluisses sacrificiū de dissem vtiq;: satis volebat facere deo pro peccatis suis: p̄picare illū volebat: vt acciperet indulgentiā peccatorū. Et q̄si querens vnde illū p̄pitiaret: Si voluisses inq̄t sacrificiū dedisses vtiq; holocaustis nō delectaber̄. Ergo supflue q̄rebat aut arietes: aut tauros: aut aliquā talem victimāz vñ placaret de⁹. Quid q̄? Qz holocaustū nō delectat de⁹: nō accipit sacrificiū: et si ne sacrificio placat: Si nullū sacrificiū ē: nullus sacerdos. Si aut̄ habem⁹ sacerdotem in cel⁹: q̄ p nobis interpellat p̄rem: Intrauit enī in sanctasanc̄toz in interiora veli: quo nō intrauit sacerdos in figura: nisi sel̄ in anno: sicut et dñs in toto tēpe sel̄ oblat⁹ est. Ipe obtulit se: ipse sacerdos: ipse victima: et intrauit in sanctasanc̄toz sel̄: et iaz non moriet̄: nec mors ei vltra dñabit. Securi sum⁹ q̄ habem⁹ sacerdotē: ibi offeramus et hostiā. Videam⁹ q̄ sacrificiū debemus offerre: quia holocaustis si delectat de⁹ nri: sicut audistis in psalmo. Sed ibi sequit̄ et ostēdit quid offerat. Sacrificiū deo spiritus contribulatus: cor contritū et humiliatum deus non spernit. Si q̄ bñlia-*

Alia fra.
non habet
ambulauit

num cor sacrificiū deo est: sacrificium obtulit: qui dixit. **B**omine non est exaltatum cor meum. **V**ide alio loco sic offerentem. **S**icut deo. **V**ide hūilitatē meam et laborē meū: et dimitte oīa peccata mea. **D**ñe nō ē exaltatū cor meū. **N**eq; in altis elati sūt oculi mei: **N**eq; ingressus su in magnis: neq; in mirabilibus super me. **H**oc planius dicat et audiatur. **N**on fui supbus: nolui quasi in mirabilibus innotescere hominibus: et nec quesivi aliqd supra vires meas: vnde me apud impios tactarem. **I**ntendat caritas v̄ra: maḡ res cōmendat: quomō Symon ille magus in mirabilibus ingredi volebat sup se: ppter ea plus illū et electauit potētia ap̄loꝝ: q̄ iusticia christianorū. **A**t vbi vidit p manū positionem ap̄loꝝ et p orationes eorū deū dare fidelibus sp̄m̄ sanctū: et q̄ tunc p miraculū demonstrabat aduētus sp̄m̄ sancti: vt linguis loquerent̄: q̄s nō didicerāt oēs sup quos veniebat sp̄m̄ sanctus: **N**ec ideo mō nō dat sp̄m̄ sanctus: q̄ linguis non loquunt̄ q̄ credūt. **I**deo enī tūc oportebat: vt linguis loquerent̄: vt significaret oēs linguas christo credituras: vbi impletū ē qd̄ significabat: miraculū oblatū ē. **L**uz ergo b̄ videret Symō magus: voluit talia facere: nō talis esse. **E**t nostis q̄ etiaz pecunia putauit companduz sp̄m̄ sanctū. **E**rat ergo de talib⁹ q̄ in templo intrant ad emēdū et vendendū: emere volebat qd̄ vēdere disponebat. **E**t vere fratres mei: quia tal erat ille: et sic intrauerat ad eos: dñs illos expulit de templo q̄ columbas vendebāt. **C**olumba aut̄ sp̄m̄ sanctuz significat. **V**olebat q̄ Symon emere colūbam et vendere colūbam. **A**ccessit dñs Iesus christus: qui habitabat in tēplo Petri: et flagello resticule expulit foras malū mercatorē. **E**rgo sunt hoies quos delectat miraculū facere: et ab eis q̄ p̄fecerunt in ecclia miraculū exigūt: et ip̄i qui q̄si p̄fecisse sibi vident̄ talia volūt facere: et putāt se ad deū non p̄tinere: si nō fecerint. **D**ñs aut̄ deus noster: q̄ nouit qd̄ cui tribuat: et vt fuer̄ compago corpis i pace alloquit̄ eccliam p̄ apostolū. **N**ō potest dicere oculus manū: opus te non habeo: aut iteruz caput pedibus: opus vobis nō habeo. **S**i totū corpus oculus: vbi auditus: **S**i totū auditus: vbi odorat⁹. **E**rgo i membris nostris videtis fratres: quō singula officiū suū habeāt mēbra. **O**culus videt et nō audit: auris audit et nō videt: ma-

nus opat: nec audit: nec videt: pes ambulat: nec audit: nec videt: nec facit qd̄ facit manus. **S**z in vno corpe si sit sanitas: et nō aduersum se litigēt mēbra: et auris videt in oculo: et oculus audit i aure: nec obfici potest auri q̄ nō videt: vt dicatur ei: nihil es: minor es. **A**unqd̄ videre et discernere colores potes: qd̄ facit oculus? **R**espondet enī auris de pace corpis: et dicit. **I**bi sum vbi est oculus: in eo corpe sum: in me non video: in illo cū quo sum video. **I**ta cū auris dicit: oculus mihi videt: oculus dicit: auris mihi audit: oculi et aures dicunt: manus nobis opant: manus dicūt: oculi et aures nobis vidēt et audīt: oculi et aures et manus dicūt: pedes nobis ambulāt. **O**mnia in vno corpe cum opantur: si sit ibi sanitas et cōcordent mēbra: gaudēt et congaudent sibi: et si aliqd̄ molestie sit i aliquo membro: nō se deserūt: sed compatiunt̄ sibi. **A**unqd̄ q̄ in corpe pes quasi longe videtur ab oculis: illi enī sunt locati in s̄blimitate: illi aut̄ infra positi. **Q**ñ forte pes spinam calcauerit: deserūt oculi: et nō sicut videmus totū corpe cōtrahit: et sedet homo: curuat spina dorsi: vt querat spina que besit in planta. **O**mnia mēbra qcq̄ possūt: faciūt: vt de infimo exiguo loco spina que inherat educat. **S**ic ergo fratres q̄squis in corpe christi non potest resuscitare mortuus: nō illud querat: sed querat ne discorde in corpore: quomō si auris querat videre: discordare potest. **N**am quod nō accepit: nō potest facere. **S**ed si ei obiectum fuerit et dictum: si iustus esses: resuscitares mortuū quomō resuscitauit Petrus. **I**n christo enim maiora vident̄ fecisse apostoli: q̄ ip̄e domin⁹. **S**z vñ fieri potest: vt pl̄ valeant sarmēta q̄ radix. **Q**uō aut̄ quasi maiora vident̄ fecisse illi q̄ ille. **A**d vocem domini surrexerūt mortui: ad vmbra transeuntis Petri surrexit mortuus: mat̄ hoc videt̄ q̄ illud. **S**z christus facere sine Petro poterat: Petrus nisi in christo nō poterat. **Q**uia sine me inq̄t nihil potest facere. **C**um ergo hoc audierit homo qui p̄ficat: quasi obiectam calūniam ab ignans paganis: ab hominibus nesciētibus quid loquantur in compage corpore christi: respondeat et dicat. **Q**uid dicis: non es iustus: quia non facis miraculum: **P**osses et auri dicere: non es in corpore: quia non videt. **F**aceres inquit et tu: sicut et Petrus fecit: **S**ed ip̄e Petrus et mihi fecit: quia

in eo corpore suz in quo Petrus fecit. In illo quod potest possum: a quo diuisus nō sum. Quod minus possum: compatitur mihi: et qđ plus potest: cōgaudio illi. Ipse dñs desup clamauit pro corpe suo: Saule saule qđ me psequis: et ipm nemo tāgebat: s; p corpe in terra laborante: caput de celo clamabat. Si ę fratres vnusquisq; qđ potest iuste egerit: et in eo qđ alius plus potest: nō inuiderit: s; pgratulus fuerit: tāq; in vno corpe cū eo cōstitutus: p̄tinet ad eū vox ista psalmi. **B**ñe nō ē exaltatū cor meū: neq; i altū elati sunt oculi mei: neq; ingressus suz in magnis: neq; in mirabilib; sup me. **Q**đ enī excessit vires meas: ait: **N**ō q̄siui: non ibi me extendi: nolui ibi magnificari. **M**az ista exaltatio de abundantia gr̄az: q̄ sit timenda: ne q̄s de dono dei supbiat: s; mag; fuet humilitatē: et faciat qđ scriptū est. **Q**to magnus es: tāto humilia te in oib;: et coram deo inuenies gr̄am. **N**ō ę timenda sit supbia de dono dei: etiam atq; etiā cōmēdādūz ē caritati vestre: maxime qz psalm; breuissim; p̄mittit nos loq;. **P**aulus ap̄ls q̄uis ex p̄secutore factus sit p̄dicator: abū dantiorē gr̄am p̄secutus est in oī labore apostolico q̄ ceteri ap̄li: vt magis de; ostēderet suum esse qđ dat: nō hoīs. **Q**uō solent medici potentia sue artis in desperat; ostēdē: sic et dñs noster **J**esus christ; medicus et saluator n̄r in desperato qđ p̄secutor ecclie fuit ostēdit magnitudinē ar̄is sue: vt nō solum eū christianū faceret: s; et ap̄lum: nec tñ ap̄lm: s; sicut ip̄e dicit: plus omnib; ill; laboraret. **E**xcellentissime ę gr̄e fuit. **E**t videtis fratres: qz mō in ecclia **P**auli apostoli eplē vigent magis: q̄ coap̄lorum ei;. **A**lij enī nō scripserūt: s; tñ locuti sunt in ecclia. **N**ā q̄ p̄ferunt ab erratib; lib; nomie ip̄oz: qz nō sunt ip̄oz: improbat;: nec acceptant ab ecclia. **A**lij autē q̄ scripserunt: nec tñ: nec tāta gr̄a scripserūt. **A**ū ę esset magne gr̄e: et magna dōa meruisset a deo: qđ dicit qđā loco: **P**rop̄ magnitudinēz aūt reuelationū ne extollar. **I**ntēdite rē tremēdani vobis dico: p̄pter magnitudinē inq̄t reuelationū ne extollar: dat; est mihi stimulus carnis mee: angelus sathane: qđ me colaphizat. **Q**uid est h; fratres: **N**e extolleretur tāq; inuenis: colaphizabat tāq; puer. **E**t a quo: **A**b angelo sathane. **Q**uid est hoc: **B**olore qđam corpis tradit exagitat; vehement;. **B**olores autē corpoz plerūq; immittunt ab angel; sathane: s; h; nō p̄fit: nisi

p̄missi. **N**am et **J**ob sanct; sic p̄batus est. **P**ermissus ē ad eū p̄bandū sathanas: et p̄cussit euz vulnere: vt vmbus putresceret. **I**mmūd; enī p̄nitebat;: et sanct; p̄babat;. **N**escit diabolus q̄sta bōa de illo fiāt: etiāz cū seuit. **S**euies intrauit in cor **J**ude: seuiens tradidit christū: seuiens crucifixit: et crucifixo christo redemptus est orbis terrarū. **E**cce seuitia diaboli diabolo obfuit: nobis autē p̄fuit. **S**euiedo enī quos tenebat amisit: redemptos sanguie dñi: quē cū seuiret: effudit. **S**i sciret tñ damnū se passurū: nō funderet in terram p̄cium quo redemptus est genus humanū. **S**ic ergo ille angelus sathane: quasi libētē p̄missus est colaphizare apostolū: sed tamē apostolus curabatur. **E**t quia illud qđ medicus apposuerat molestū erat infirmo: rogauit medicum vt auferret. **Q**uomō cū medicus apponit visceribus aliqđ forte epithema molestuz et ardens: inde tamē curandus est ille cuius viscera tumbāt: cū ille ardere cepit et cruciari medicamēto: rogat medicum vt auferat medicatū: medicus autē p̄solat;: monet patiaz qz nouit q̄ vtile sit qđ apposuit. **I**ta et ap̄ls sequit; et dicit: cū dixisset: **B**atus est mihi stimulus carnis mee: angelus sathane qđ me colaphizat. **P**redixit autē quare: **N**e magnitudie reuelationū extollar: dat; est mihi stimulus carnis mee: angel; sathane qđ me colaphizat: p̄pter qđ ter dñs rogauit: vt auferret eū a me. **H**oc est dicere: rogauit medicū: vt auferret a me molestū epithema qđ mihi apposuerat. **S**z audiui vocē medici: **E**t dixit mihi: **S**ufficit tibi gr̄a mea: nam vtus in infirmitate p̄fici;. **E**go noui qđ apposuerim: ego noui vnde egrotas: ego noui vnde saneris. **S**i ergo charissim; **P**aulus potuit apostolus extolli magnitudine reuelationū: nisi acciperet angelū sathane qui se colaphizaret: quis de se posset esse securus. **L**utius videt; ambulare qđ minus accipit: s; si non puerse querat qđ recte nō accipit. **Q**uerat sine quo nō potest esse in corpore christi: aut sine quo male ē illic. **L**utior est enī in corpe digitus san;: q̄ lippies oculus. **D**igitus exigua quedaz res est: oculus magnifica multum potest: et tamen melius est digitū esse et sanuz esse: q̄ oculuz eē et pturbare: lippire: et excecari. **N**ō ę querat quisq; in corpe christi: nisi sanitatē. **S**cđm sanitatē habeat fidē: ex fide mundatur cor eius: ex mūdatione cordis videbit illam faciem: de qua dictum est:

Beati mudo corde: quoniam ipsi deum videbunt. Et qui fecit miracula: et qui non fecit miracula in corpore christi: non debet gaudere nisi de facie dei. Rediit apostolus: et dixerunt domino: cum missi essent a domino: Ecce domine in nomine tuo etiam demonia nobis subiecta sunt. Respondit dominus quod temptaret eos superbia ex potentia miraculorum: et ille qui medicus venerat sanare tumores nostras: et ferre infirmitates nostras: continuo ait. Nolite in hoc gaudere: quia demonia vobis subiecta sunt: sed gaudete: quia nomina vestra scripta sunt in celo. Non omnes christiani boni demones efficiunt: omnium tantum nomina scripta sunt in celo. Non eos voluit gaudere ex eo quod proprium habebant: sed ex eo quod cum ceteris salutem tenebant. Inde voluit gaudere apostolos: vestrum gaudes et tu. Intendat caritas vestra: Nullus fidelis habet spem: si nomen eius non est scriptum in celo. Omnium fidelium qui diligunt christum: qui ambulant viam eius humiliter quam ipse docuit humiliter: nomina scripta sunt in celo. Quis vis contemptibilis in ecclesia qui credit in christum et diligit christum: et amat pacem christi: nomen scriptum est in celo: cuiuslibet quem continentis. Et quod simile ipse et apostoli: qui tanta miracula fecerunt: Et tamen apostoli reprimuntur ex eo quod de bono proprio gaudebant: et iubentur hinc gaudere: vestrum gaudet et ille contemptibilis. Non immerito fratres mei cum ista humilitate dicit: Domine non est exaltatum cor meum: neque in altum elati sunt oculi mei: neque ingressus sum in magnis: neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam. **Q**uemadmodum qui ablactatus est a lacte super matrem suam: sic retributio in animam meam. Videtis eum velut maledicto se obstrinxisse. Quomodo alio loco in psalmo dicit: Domine deus meus si feci istud: si est iniquitas in manibus meis: si reddidi retribuendum mihi mala: decidam merito ab inimicis meis inanis etc. Sic videtur et hic dixisse: Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam. Age quasi dicitur est: illud mihi contingat: quod et tibi: Si reddidi retribuendum mihi mala: contingat mihi illud. Quid: Recidam merito ab inimicis meis inanis. Sic et hic. Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam: quemadmodum qui ablactatus est a lacte super matrem suam: sic retributio in animam meam. Intendite: Nolite quod quibusdam infirmis dicit apostolus: Lac vobis potum dedi non escam: nondum enim poteratis: sed nec adhuc quidem potestis. Sunt

Alia lra.
Sicut.
non habet
tira
anima mea

infirmi qui non sunt idonei valido cibo: voluit se tedere ad id quod capere non possunt: et si aliquid utcumque ceperint: aut visum sibi fuerint capere quod non ceperunt: extollunt inde et superbiunt: inde videntur sibi quasi sapientes. Hoc autem contingit omnibus hereticis: qui cum essent animales et carnales: defendendo sententias suas: pravas quasi falsas esse non potuerunt videre: exclusi sunt de catholica. Sicque caritati vestre quod possitis: Dominus noster Iesus christus: nostis quod verbum dei est: secundum illud Iohannis: In principio erat verbum: et verbum erat apud deum: et deus erat verbum: hoc erat in principio apud deum: Omnia per ipsum facta sunt: et si ne ipso factum est nihil. Panis ergo est: inde vivunt angeli. Ecce panis paratus est tibi: sed cresce de lacte: ut ad panem pervenias. Et quomodo inquis cresco de lacte? Quod tibi factus est christus ad infirmitatem tuam: hoc primo crede et fortiter tene. Quomodo ergo mater cum viderit filium minus idoneum ad capiendum cibum: ipsos cibos ei dat: sed traiectos per carnem suam. Nam ipse est panis de quo infans pascitur: quo et mater eius pascitur: sed ad mensam infans minus idoneus est: ad mammillam idoneus est. Panis ergo de mensa traiecit per matris mammillam: ut sic perveniat inde alimentum ad parvum infantem. Sic dominus noster Iesus christus cum esset verbum apud patrem per quod facta sunt omnia: qui cum in forma dei esset: non rapinam arbitratus est esse equalis deo: qualem caperet per modo suo angeli: et vnde in celo potestates et virtutes spiritus intellectuales pascerebant. Homo autem infirmus et carne involutus iaceret in terra: nec posset ad eum pervenire panis celestis: ut panem angelorum maderet homo: et manna descenderet ad vberiorum populum israel: Verbum caro factum est: et habitavit in nobis. Quapropter ipsis infirmis Paulus apostolus hoc dicit: quos dicit animales et carnales: Numquid dixi me scire aliquid in vobis: nisi Iesum christum et hunc crucifixum? Nam christus erat et non crucifixus: In principio erat verbum: et verbum erat apud deum: et deus erat verbum. Et quod ipsum verbum caro factum est: et ipsum verbum crucifixus est: sed non est mutatum in hominem: homo in illo mutatus est. Mutatus est homo in illo: ut melior fieret quam erat: non ut in ipsam substantiam ubi converteretur. Per id ergo quod homo erat: mortuus est deus: et per id quod deus erat: excitatus est homo: et resurrexit: et ascendit in celum. Quicquid passus est homo: non potest dici non passus

est deus: quia deus erat hominem assumendo: sed non est mutatus in hominem: quomodo non potes dicere non te passum iniuriam: si vestis tua conscindat. Et quando quereris: vel amicus: vel in iudicio hoc dicis iudici: **Et** scidit me: non dicis conscidit birrum meum: sed conscidit me. Si potuit et meruit vestis tua dici tu: que non est tu: si vestis tua: quanto potius meruit audire caro christi templum verbi unitum cum verbis: Et quicquid in carne pateret: deus ipse pateret: quibus verbis nec mori potuerit: nec corrumpi: nec mutari: nec occidi: sed quicquid horum passum est in carne passum est. Et noli mirari: quia verbum nihil passum est: nec anima hominis potest pati aliquid occisa carne: dicite ipse domino: Nolite timere eos qui corpus occidunt: animam autem non possunt occidere. Si anima non potest occidi: verbum dei poterat occidi: Et tamen quid dicit: Flagellavit me: colaphizavit me: percussit me: dilaniavit me: totum hoc non fit in anima: et tamen non dicit nisi me: propter unitatem consortii ipsius. Dominus ergo noster Jesus christus panis: se fecit nobis lac: incarnatus et apparens mortalis: ut in eo finiret mors: et non aberraremus a verbo: credentes in carnem quod factum est verbum. Hinc crescimus: ipse lacte nutriamur: antequam validi simus ad capiendum verbum: non recedamus a fide lactis nostri. Illi autem heretici volentes disputare de eo quod non poterant capere: dixerunt quia filius minor est quam pater: et dixerunt: quia spiritus sanctus minor est quam filius: et fecerunt gradus: et miserunt in ecclesiam tres deos. Non enim possunt negare deum esse patrem: nec possunt negare filium deum: nec possunt negare spiritum sanctum deum. Et si pater deus: et filius deus et spiritus sanctus deus: inaequales sunt: et non sunt eiusdem substantie: non est unus deus sed tres dii. Disputantes ergo quod capere non poterant: elati sunt in superbiam: et factus est in eis quod dicit in isto psalmo: Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam: Quae admodum quae ablactatus est a lacte super matrem suam: sic retributio in animam meam. Mater enim ecclesia dei est: unde illi separati sunt: ubi lactari et nutriri debebant: ut crescerent ad capiendum verbum deum apud deum in forma dei equali patri. Elisa est hic quidem ab his qui ante nos ista tractauerunt: et alia sententia: et alius intellectus in his verbis: quem non tacebo caritati vestre. Hoc enim dixere

runt: Omnis superbus displicet deo: et debet se humana anima humiliare: ne deo displiceat: et toto corde intueri quod dictum est: Quanto magnus es humilia te in omnibus: et coram deo inuenies gratiam. Sed rursus sunt quidam homines: qui cum audierint: quia humiles esse debent: dimittunt se: nihil volunt discere: putantes quia si aliquid didicerint superbi erunt: et remanent in solo lacte. Quos reprehendit scriptura dicens: Et facti estis opus habentes lacte non solido cibo. Sic enim nos deus vult nutrire lacte: ut non ibi remaneamus: sed crescendo per lac ad solidum cibum perveniamus. Ergo non debet homo extollere cor suum in superbia: sed debet eleuare in doctrinam verbum dei. Nam si leuanda anima non esset: non diceretur in alta voce psalmi: Ad te domine leuavi animam meam: et nisi seipsa anima super se effundat: non perveniet ad visionem dei: et ad cognitionem substantie illius incommutabilis. Nam modo cum adhuc in carne est dicit ei: ubi est deus tuus? Sed intus est deus eius: et spiritualiter intus: et spiritualiter excelsus est: non quasi intervallis locorum: quod per intervalla loca altiora sunt. Nam si talis altitudo querenda est: vincunt nos aves ad deum. Ergo intus deus altus est: et spiritualiter altus: nec perveniet anima ut contingat eum nisi transierit se. Nam quicquid de deo sentis secundum corpus multum erras: multum infans es: si sentis de deo etiam secundum animam humanam quae deus: aut obliviscatur: aut ita sapiat ut deipsa: aut faciat aliquid et peniteat eum. Omnia enim ista posita sunt in scripturis: ut nobis lactentibus commendaret deus: non ut prope de illo sic audiamus ista: et intelligamus quasi peniteat deum: et modo aliquid discat quod non noverat: et intelligat quod non intelligebat: et reminiscatur quod oblitus erat. Talia enim aie sunt non dei. Nisi homo qui transierit et modum anime suae: non videbit quia deus est quod est: qui dixit: Ego sum qui sum. Itaque ille cui dicebatur: ubi est deus tuus: quid dixit: Facte sunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte: dum dicit mihi quotidie: ubi est deus tuus? Ut autem inveniret deum suum: quid egit? Haec meditari superius inquit et effudi super me aiaz meam: Ut inveniret deum effudit super se animam suam. Non ergo sic tibi dicit: humilis esto ut non sapias: humilis esto propter superbiam: altus esto propter sapientiam. Audi evidentem sententiam de hac re. Nolite pueri effici mentibus: sed malicia infantes estote: ut mentibus perfecti sitis. Certe

explicatū est fratres mei: vbi nos deus voluit esse hūiles: vbi altos: **H**umiles propter cauendā superbiam: altos propter capiendā sapientiam. **L**actare vt nutriaris: sic nutrire vt crescas: sic crescevt panē māduces. **C**ū em̄ ceperis panem māducare ablactaberis: id ē iā tibi non opus erit lacte: sed solido cibo. **E**t hoc videt dixisse: **S**i nō humiliter sentiebā: sed exaltaui animā meam: id est si nō mente: sed malicia paruul⁹ fui: **Q**uod significans dixit superiora verba: **B**omine non est exaltatum cor meum: neq; in altum elati sunt oculi mei. **N**eq; ingressus sum in magnis: neq; in mirabilibus sup me. **E**cce quia malicia paruulus fui: sed quia sensu non fui paruulus: si nō humiliter sentiebā: sed exaltaui animā meā: retribuaf̄ mihi qd̄ retribuif̄ paruulo qui ablactatur a matre: vt iam panem sim idoneus māducare. **E**t hec ergo fratres sentētia nō displicet: quia nō est contra fidez: **M**ouet me tamē: quia nō tm̄ dictū est quēadmodū qui ablactat⁹ est a lacte: sic retributio in animā meaz: sed additū: quēadmodū qui ablactatus est a lacte super matrē suam: sic retributio i animā meā. **H**ic mihi nescio quid tale occurrit: vt videā: quia male dictū est: **A**blactat⁹ em̄ non infans: sed iam grādiusculus. **Q**ui aut̄ infirmus est: p̄ma infantia que vera infantia est super matrē suam est: si forte fuerit a lacte ablat⁹ extinguit̄. **N**on frustra ḡ additum est: sup matrē suā. **A**blactari em̄ omnes possunt crescendo: qui crescit et sic ablactatur: bonū est illi: qui aut̄ adhuc sup matrē suā est p̄nciosum. **E**rgo cauēdū fratres et timendū est: ne q̄s añ temp⁹ ablactetur. **N**ā oīs grandis puer separat a lacte: si ne quis tūc a lacte separet: qm̄ adhuc super matrē suam est. **C**ū aut̄ portat̄ manib⁹ matris qui portatus est vtero. **P**ortatus ē em̄ vtero vt nasceret̄: portat̄ manib⁹ vt crescat: lacte opus habet: adhuc sup matrē suā est. **N**on ergo velit nūc exaltare animā suā: cū forte min⁹ idoneus est ad capiendū cibuz: sed impleat p̄cepta hūilitatis. **H**abet vbi se exerceat: credat in ch̄stū: vt possit intellegere ch̄stū. **V**idere verbū nō pōt: capere nō pōt equalitatē verbi cū patre: equalitatē sp̄s sancti cū patre et verbo: nō dū potest videre: credat h̄ et sugat. **S**ecurus ē: qz cū creuerit: māducabit qd̄ nō poterat anteq̄ sugendo cresceret: et habet vbi se extendat. **A**ltiora te ne q̄sieris: et fortiora te ne scrutatus fueris: id est ad que capiēda min⁹ ido-

neus es. **E**t quid facio inquis? **S**ic remanebo: **S**ed q̄ p̄cepit tibi dñs illa cogita sp̄. **Q**ue tibi p̄cepit dñs: **F**ac misericordiam: pacem ecclesie noli dimittere: in hominē sp̄em noli ponere: desiderādo miracula noli temptare deū. **S**i iā in te ē fruct⁹: cognosceis: qz cū bonis toleras zizania vsq; ad messem: qz cū malis ad temp⁹ potes esse nō in eternū. **P**alca h̄ tibi mixta ē: in hoc tpe: i area: in horreo tecū nō erit. **H**ec q̄ tibi p̄cepit domin⁹ illa cogita semp. **A** lacte nō sepateris quoadulq; sup matrē tuā es: ne pus fame moriaris: anteq̄ panē manducare sis idoneus. **A**resce: erūt valide vires tue: et videbis qd̄ non poteras: et capies qd̄ nō capiebas. **Q**uid ergo: **C**ū videro q̄ nō poteram videre: et cepero q̄ nō poterā capere: iaz securus ero: p̄fectus ero: **N**on: q̄ diu h̄ viuis. **I**psa est p̄fectio: nra hūilitas. **A**udistis quo conclusit modo apostolica lectio: si hesit in memoria vestra. **Q**uō ille qui accepit colaphum: ne extolleret̄ i reuelatiōibus: quāta ei reuelabant̄: p̄pter ipsam magnitudinē reuelationū: qz poterat extolli: nisi acciperet angelū sathane: **E**t tamē cui tanta reuelabant̄ quid ait: **F**ratres: ego meipm̄ non arbitror apprehēdisse. **P**aulus dicit: **F**ratres ego meipm̄ nō arbitror apprehēdisse: qz ad hoc accepit colaphizantē angelū sathane: ne extolleret̄ in magnitudine reuelationuz suaz: **Q**uis audeat dicere: qz comprehendit̄. **E**cce **P**aulus apprehēdit̄: et dicit: nō me arbitror apprehēdisse. **E**t quid ais o **P**aulus: **A**dhuc curro inq̄t vt apprehendā. **A**dhuc **P**aul⁹ i via est: et tu te putas in patria: **U**nū aut̄ inq̄t: que retro sunt oblitus. **H**oc fac et tu: vitā p̄teritā malā obliuiscere: **S**i te delectauit aliqui vanitas: non te delectet. **Q**ue retro oblit⁹ inq̄t: in ea q̄ ante sunt extētus: s̄m intentionē sequor ad palmā sup̄ne vocatiōis dei i ch̄sto Iesu. **A**udio vocem dei desuper: et curro vt apprehendam. **N**on em̄ dimisit me in via remanere: q̄ non cessat alloqui me. **E**rgo fratres non cessat de⁹ alloqui nos. **N**ā si cessat: quid est quod agim⁹? **Q**uid ē qd̄ agūt lectiones diuine et cantica diuina: **O**bliuiscimini ergo q̄ retro sunt: et in ea que in ante sunt: vos extēdite. **S**ic fugite lac vt crescatis ad cibū. **C**um ḡ veneritis in patriaz gaudebitis. **E**t adhuc attende apostolū: sequi ad palmā superne vocatiōis. **D**icit em̄: **Q**uotquot ergo p̄fecti: hoc sapiam⁹. **N**ō loquor inq̄t imp̄fecti: quibus adhuc nō possum loqui sapientia:

qui adhuc lacte potantur: non solido cibo pascunt: sed illis dico qui iam manducant solidum cibū: Jam vident esse pfecti: quia intelligunt equalitatē verbi cum patre. Ad huc non sic vident: quomō videndum est facie ad faciē: adhuc ex parte in enigmate. **Currant ergo:** qz cum via finita fuerit: tūc redimus ad patriam. **Currant currant:** extendant se. **Quotq̄t q̄ pfecti hoc sapiam?** Et si qd̄ alit̄ sapitis: h̄ quoq̄ vobis de⁹ reuelabit. **Si forte erras in aliq̄: q̄re nō redis ad lac matris:** Quia si nō extollimini: quia si non exaltatis cor vestrū: quia si nō ingredimini in mirabilib⁹ sup̄ vos: sed seruatis humilitatē: reuelabit vobis de⁹ qd̄ aliter sapitis. **Si autē hoc ipsum qd̄ aliter sapitis defendere vultis: et p̄tinaciter astruere: et contra pacē ecclesie: fit vobis maledictū hoc quod dixit: sup̄ matrem cum estis et foris a lacte separabimini: foris a visceribus matris fame moriemini.** Si autem pseueraueritis ī pace catholica: si quid forte aliter sapitis q̄ oportet sapere: deus vobis reuelabit humilib⁹. **Quare? Quia deus sup̄bis resistit: humilib⁹ autē dat gratiā.** Ideo ad hoc conclusit psalmus. **Speret israel in domino: ex hoc nūc et vsq̄ in seculum.** Qd̄ em̄ scriptū ē grece: αφο του πυρ και εως του αιωπος: h̄ ē positū: ex h̄ nūc et vsq̄ in seculū. S; nō sēp seculi nomē hoc seculū significat: sed aliquādo eternitatē: quia eternū duobus modis intelligit: vsq̄ in eternū: id est aut semp sine fine: aut quousq̄ veniamus ad eternitatē. **Hic ergo quomodo intelligendū est: Quousq̄ veniamus ad eternitatē speremus in domnū deum: quia cum venerimus ad eternitatem iam spes nō erit: sed ip̄a res erit.**

Explicit Tractatus de ps. CXXX.

Incipit Tractatus de ps. CXXXI.

Iustum quidē erat carissimi: vt fratrem potius audirem⁹ colligā meū: p̄sentem omnibus nobis. Et modo nō negauit: sed distulit. Et ideo hoc indico caritati vestre: vt mecū p̄missum teneatis. **Nō fuit autē absurdum caritati vestre: vt prior obtemperare iubenti.** **Extorsit em̄ mihi vt esset modo auditor meus: eo sane pacto vt et ego sim ip̄ius: quia in ip̄a caritate omnes eius auditores sumus: qui vnus nobis in celo magister est.** Ergo animū intendite ad psalmū: quem in ordine sicut notis tractandū habemus. **Est etiam ipse p̄notat⁹. Canticū graduū. Et aliquāto**

ceteris sub eodē titulo plior. **Nō q̄ imo⁹ remur: nisi vbi necessitas coegerit: vt totus si dñs pmiserit explicare possim⁹: qz et vos nō tāq̄ rudes oīa debet̄ audire: aliqd̄ et de p̄terit̄ auditionib⁹ adiuuare nos debet̄: ne omnia tanq̄ noua a nobis dici necesse sit. Et noui quidē esse debem⁹: quia vetustas nobis obzipere nō debet: sed etiā crescendū et p̄ficiendū est. **Be ipso quippe p̄fectu ait ap̄tus. Et si exterior homo noster corrūpitur: sed interior renouat̄ de die in diem. Non sic p̄ficiamus vt ex nouis veteres efficiamur: sed ip̄a nouitas crescat.****

Expositio psalmi.

Memento domine **Dauid:** et **omnis māsfuetudinis eius.** **Sicut iurauit domino: votum vouit deo Jacob. Dauid fm̄ fidem rerū gestarū vnus homo erat: rex isrl: filius Jesse. Erat quidē et ip̄e māsfuetus: sicut eū indicat atq̄ cōmendat scriptura diuina: et ita māsfuetus vt nec p̄secutori suo Sauli malū pro malo reddiderit. Seruauit autē erga eū tantā humilitatē: vt illum regem fateret̄: se aut̄ canē: et nō p̄terue: nec sup̄be cū esset in deo potentior: r̄idebat regi: sed euz placare potius affectabat humilitate q̄ cōcitare sup̄bia. Etiam in potestate dat⁹ ē ei Saul: et h̄ a dño deo vt ei faceret quicqd̄ vellet. Sed qz non p̄ceptū illi erat vt occideret: sed tm̄ in potestate datum illi erat. Licet aut̄ homini vti potestate sua: ad lenitatem potius deflexit qd̄ ei deus concessit: qui si vellet occidere: careret inimico. Sed quomō diceret: **Dimitte mihi debita mea: sic et ego dimitto debitorib⁹ meis: In speluncam intrauit Saul vbi erat Dauid: nesciens q̄ illic esset Dauid: ad necessaria ventris ille intrauit: surrexit Dauid sensim et lente post ip̄m: precipit illi de veste panniculū quem illi ostēderet: vt nosset q̄a habebat illum in potestate: et non necessitate: sed voluntate pepcerat: et noluit occidē.****

Fortē ipsam māsfuetudinē commendauit modo dicens: Memento domine Dauid et omnis māsfuetudinis eius. Hoc fm̄ rerū gestarū fidem quā scriptura diuina vt diximus continet: Sed solemus in psalmis nō ad litteram attendere sicut in omni p̄phetia: sed p̄ litteram scrutari mysteria. Et meminit caritas vestra: quia cuiusdā hominis vocem in omnib⁹ psalmis solemus audire: quia vnus habet caput et corpus. Caput autem in celo est: sed corpus in terras